



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Capitvla.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

- |   |  |
|---|--|
| XXXIX. <i>Vt ieiunium non soluat<br/>tur ante vesperas.</i>                                 | <i>in iunio remittendis.</i>   |
| XL. <i>A quibus rebus &amp; quomodo<br/>abstinendum sit.</i>                                | XLIII. <i>Vt coniuges inuicem se<br/>iam abstineant.</i>   |
| XLI. <i>De crebra corporis &amp; san-<br/>guinis Domini susceptione in<br/>quadagesima.</i> | XLIV. <i>Vt populus excitetur ad<br/>crebram corporis &amp; sanguinis<br/>Domini susceptionem, &amp;c.</i> |
| XLII. <i>De litibus &amp; debitis in ie-<br/>iunio remittendis.</i>                         | XLV. <i>Vt Missa publica non of-<br/>ficiat peculiaris.</i>  |

P R Æ F A T I O.

**O**BSEURO vos, fratres dilectissimi, vt erga subditarum plebium profectum & emendationem vigilantissima cura laboretis; qualiter illis viam salutis ostendentes, & eos verbis & exemplis instruentes, & vos de eorum profectu, & nos de vestra fidei agro, Domino nostro Iesu Christo auxiliante, fructuosos illi manipulos reportemus. Obsecro etiam fraternitatem vestram, vt hæc capitula, quæ ad emendationem vitæ breuiter digessi, assidue legatis, & memoriæ vestræ commendetis. Et bonorum operum cultibus, siue sanctarum scripturarum lectionibus componatis vitam, & emendetis, & cum subditis plebibus, opitulante Domino, ad regna cælestia pergere certetis.

C A P I T V L A.

I.

Veraciter nosse debetis, & semper meminisse, quibus regendarum animarum cura commissa est: & pro his qui negligentia nostra pereunt, rationem reddituri sumus; pro his vero, quos verbis & exemplis lucrati fuerimus, præmium æternæ vitæ percipiemus: nobis enim a Domino dictum est: *Vos estis sal terræ.* Quod si populus fidelis cibus est Dei, eiusdem cibi condimentum nos sumus. Scitote vestrum gradum esse nostro gradui secundum, & pene coniunctum esse. Sicut enim episcopi apostolorum in ecclesia, ita nimirum presbyteri ceterorum discipulorum Domini vicem tenent; & illi tenent gradum summi pontificis Aaron; isti vero filiorum eius: vnde oportet nos memores esse tantæ dignitatis, memores vestræ consecrationis, memores sacræ, quam in manibus suscepistis, vntionis; vt nec vos ab eadem dignitate

degeneretis, nec vestram consecrationem irritam faciatis, nec manus sacra vnctione delibutas peccando polluat: sed cordis & corporis munditiam conseruantes, plebibus exemplum bene viuendi præbentes, his, quibus præestis, ducatum ad cælestia regna præbeatis.

## I I.

Psal. 118.

Oportet vos assiduitatem habere legendi, & instantiam orandi, quia iusti viri vita lectione instruitur, oratione ornatur, & assiduitate lectionis munitur homo a peccato, iuxta illum qui dicebat: *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Hæc sunt enim arma, lectio videlicet & oratio, quibus diabolus expugnatur; hæc sunt instrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur; his armis vitia comprimuntur; his alimentis virtutes nutriuntur.

## I I I.

Sed & si quando a lectione quis \* esset, debet manuum operatio subsequi, quia otiositas inimica est animæ, & antiquus hostis, quem a lectione, siue ab oratione, siue ab operatione vacantem inuenit, facile ad vitia rapit, per vsum namque lectionis discitis, qualiter & vos recte viuatis, & alios doceatis: per vsum orationis, & vobis, & his, quibus in caritate coniuncti estis, prodesse valebitis. Per manuum operationem & corporis macerationem, & vitiis alimentum negabitis, & vestris necessitatibus subuenietis, & habebitis quid ad necessitatem patientibus porrigatis.

## I V.

Quando more solito ad Synodum conuenitis, vestimenta, & libros, & vasa sancta, cum quibus vestrum ministerium & iniunctum officium peragatis, vobiscum afferte: nec non duos aut tres clericos, siue laicos, cum quibus Missarum solennia celebretis, vobiscum adducite: vt probetis quam diligenter quamque studiose Dei seruitium peragatis.

## V.

Panes, quos Domino in sacrificium offertis, aut a vobis ipsis, aut a vestris pueris, coram vobis nitide ac studiose fiant. Et diligenter obseruetis, vt panis, & vinum, & aqua, sine quibus Missæ nequeunt celebrari, mundissime atque

studiose tractentur. Et nihil in his vile, nihil improbatum inueniatur, iuxta illud quod ait scriptura. *Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.* Vinum cruciatum significat quem pro nobis sustinuit Dominus noster; aqua populum, pro quo sanguinem suum effudit Christus.

## VI.

Feminae, Missam sacerdote celebrante, nequaquam ad altare accedant, sed locis suis stent: & ibi sacerdos earum oblationes Deo oblaturas accipiat: memores enim esse debent feminae infirmitatis suae, & sexus imbecillitatis, & idcirco sancta quaelibet in ministerio ecclesiae contingere pertimescant: quia & iam laici viri pertimescere debent, ne Ozae poenam subeant, qui dum arcam Domini extra ordinationem contingere voluit, Domino percutiente interiit.

## VII.

Sacerdos Missam solus nequaquam celebret, quia, sicut illa celebrari non potest sine salutatione sacerdotis, & responsione plebis, admonitione sacerdotis nihilo minus plebs.... ita nimirum nequaquam ab vno debet celebrari: esse enim debent qui ei circumstant, quos ille saluet: a quibus ei respondeatur, & ad memoriam illi reducendus est ille dominicus sermo: *Vbicumque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum & ego in medio eorum.*

## VIII.

Videmus crebro in ecclesiis messes & fenum congeri. Vnde volumus vt hoc penitus obseruetur, vt nihil in ecclesia praeter vestimenta ecclesiastica, & vasa sancta, & libri recondantur. Ne forte si alia ibi quam oportet negotia exercentur, a Domino audiamus: *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum.*

## IX.

Antiquus in his regionibus in ecclesiis sepeliendorum mortuorum vsus fuit, & plerumque loca diuino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hostias preparata, cetera siue polyandria facta sunt idem tumulis mortuorum. Vnde volumus vt ab hac re deinceps abstineatur. Et nemo in ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona

sacerdotis, aut cuiuslibet iusti hominis, qui per vitæ meritum talem viuendo suo corpori defuncto locum acquisiuit. Corpora vero, quæ antiquitus in ecclesiis sepulta sunt, nequaquam proiiciantur, sed tumuli quia apparent, profundius in terram mittantur. Et pauimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, ecclesiæ reuerentia seruetur. Vbi vero tanta est multitudo cadauerum, vt hoc facere difficile sit, locus ille pro \* mysterio habeatur. Ablato inde altari, & in eo loco constituto, vbi religiose & pure Deo sacrificium offerri valet.

\* lege  
cemete-  
rio, iux-  
ta Consti-  
tutiõem  
Meli-  
densis.

## X.

Non debere ad ecclesiam ob aliam causam conuenire, nisi ad laudandum Deum, & eius seruitium faciendum, statuimus. Disceptationes vero & tumultus, & vaniloquia, & ceteræ actiones ab eodem sancto loco penitus prohibendæ sunt. Vbi enim Dei nomen inuocatur, Deoque sacrificium offertur, angelorum inesse frequentia non dubitatur, periculosum est tale aliquid dicere vel agere quod sancto loco non conuenit. Si enim Dominus illos de templo eiecit qui victimas quæ sibi offerebantur emebant vel vendebant, quanto magis illos iratus inde abiciet, qui mendaciis, vaniloquiis, risibus, & huiusmodi nugis locum diuino cultui mancipatum fœdant.

## XI.

Dent. 16.

Missarum solennia nequaquam alibi nisi in ecclesia celebranda sint, non in quibuslibet domibus & in vilibus locis, sed in loco quem elegerit Dominus, iuxta illud quod scriptum est: *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit Dominus, vt ponat nomen suum ibi.* Exempta ratione eorum qui in exercitu per gentes ad hoc opus habent, tentoria & altaria dedicata, in quibus Missarum solennia expleantur.

## XII.

Nulla femina cum presbytero in vna domo habitet, quamuis enim Canones matrem, & sororem, & huiusmodi personas, in quibus nulla sit suspicio, cum illo habitare concedant, hos nos modis omnibus idcirco amputamus, quia in obsequio, siue in occasione illarum veniunt alia femina, quæ non sunt ei affinitate coniunctæ, & eum ad peccandum illiciant.

## XIII.

## XIII.

Obſeruandum vobis eſt, vt & vos ab ebrietate abſtineatis: & vt plebes vobis ſubditæ abſtineant ſe, illis prædicetis: & neque per tabernas eatiſ bibendo, aut comedendo, neque aliorum domos, aut vicos, curioſitate quilibet peragretis: neque cum feminis, aut cum quibuſlibet & impuris perſonis conuiuia exerceatis; niſi forte patrifamilias quilibet vos ad domum ſuam inuitauerit, & cum coniuge ſua & prole velit vobiſcum ſpiritali gaudio lætari, & verborum veſtrorum refectionem accipere, & vobis refectionem carnalem caritatis officio exhibere. Oportet enim vt ſi quando quilibet fidelium carnalibus vos reficit epulis, a vobis reficiatur epulis ſpiritualibus.

## XIV.

Nullus preſbyter fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ de alterius preſbyteri parochia perſuadeat vt ad ſuam eccleſiam concurrant, relicta propria eccleſia, & ſuas decimas ſibi dent. Sed vnusquiſque ſua eccleſia & populo contentus, quod ſibi non vult fieri, alteri nequaquam faciat, iuxta illum euangelicum ſermonem: *Quæcumque vultis vt faciant vobis homines, hæc eadem facite illis: Quisquis autem contra hæc conſtituta venerit, aut his monitiſ noſtris reniti tentauerit, aut gradum ſe ſciat amiſſurum, aut in carcere longo tempore detinendum.* Matth. 7.

## XV.

Hoc quoque modis omnibus prohibemus, vt nullus veſtrum alterius clericum ſolicitet, aut recipiat: quia grauis de hac re in ſacris Canonibus ſententia eſt.

## XVI.

Si quis preſbyter inuentus fuerit alicui clerico aut laico munera dare aut dediſſe, vt eccleſiam alterius preſbyteri ſubripiat, ſciat ſe pro hac rapina & ſæua cupiditate aut gradum amiſſurum, aut in carceris ærumna longo tempore poenitentiam \* agendi detinendum.

## XVII.

Si paruulus ægrotans ad quemlibet preſbyterum baptiſmi gratia de cuiuſlibet parochia allatus fuerit, ei baptiſmi ſacramentum nullo modo negetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectauerit, & ille paruulus abſ-

que baptismatis gratia mortuus fuerit, nouerit se ille qui eum non baptizauerit pro eius anima rationem redditurum.

## XVIII.

Nullus sacerdos seu laicus præsumat calicem, aut patinam, aut quælibet vasa sacra, & diuino cultui mancipata, ad alios vsus retorquere. Nam quicumque de calice sacro aliud bibit præter Christi sanguinem qui in sacramento accipitur, & patinam ad aliud officium habet quam ad altaris ministerium, deterrendus est exemplo Baltassar, qui, dum vasa Domini in vsus communes assumpsit, vitam pariter cum regno amisit.

## XIX.

Si quis ex presbyteris voluerit nepotem suum, aut aliquem consanguineum, ad scholam mittere in ecclesiis quæ nobis concessæ sunt ad regendum, ei licentiam id faciendi concedimus.

## XX.

Presbyteri per villas & vicos scholas habeant: & si quilibet fidelium suos paruulos ad discendas literas eis commendare vult, eos suscipere & docere non renuant, sed cum summa caritate eos doceant, attendentes illud quod scriptum est: *Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Cum ergo eos docent, nihil ab eis precii pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes ex caritatis studio sua voluntate largientur.

Dan. 12.

## XXI.

Cum ergo omnium sacrarum scripturarum paginæ instrumentis bonorum operum refertæ sint, & per sanctarum scripturarum campos possint inueniri arma quibus vitia comprimantur, & virtutes nutriantur; placuit tamen nobis huic nostro capitulario inferere sententiam cuiusdam patris de instrumentis bonorum operum, in qua magna breuitate quid agi, quid vetari debeat, continetur. In primis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute: deinde proximum suum tamquam seipsum: deinde non occidere, non adulterari, non facere furtum, non concupiscere rem proximi, non

Præcepta plurima.

falsum testimonium dicere, honorare omnes homines, & quod sibi quis fieri ab alio non vult, alii ne faciet: abnegare semetipsum sibi, vt sequatur Christum, corpus castigare, delicias non amplecti, ieiunium amare, pauperes recreare, nudum vestire, infirmum visitare, mortuum sepelire, in tribulatione oppresso subuenire, dolentem consolari, a sæculi astibus se facere alienum, nihil amoris Christi præponere, iram non perficere, iracundiæ tempus non reseruare, dolum in corde non retinere, pacem falsam non dare, caritatem non derelinquere, non iurare, ne forte fiat periurium, veritatem ex corde & ore proferre, & malum pro malo non reddere, iniuriam non facere, sed sibi & factam patienter sufferre, inimicos diligere, maledicentibus sibi non remaledicere, sed magis benedicere, persecutionem propter iustitiam sustinere: non esse superbum, non vinolentum, non somnolentum, non multum edacem, non pigrum, non murmurantem, non detractorem, spem suam Domino committere, bonum aliquid in se cum viderit, Domino applicet, non sibi: malum vero semper a se factum sciat, & sibi reputet; diem iudicii timere, gehennam expauescere, vitam æternam omni concupiscentia spiritali desiderare, mortem quotidie ante oculos suspectam habere, actus vitæ suæ omni hora custodire, in omni loco Deum se respicere, pro certo scire cogitationes malas cordi suo aduenientes, mox ad Christum allidere, & seniori spiritali patefacere. Os suum a malo vel prauo eloquio custodire, multum loqui non amare, verba vana aut risui apta non loqui, risum multum aut excussum non amare, lectiones sanctas libenter audire, orationi frequenter incumbere, mala sua præterita cum lacrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, de ipsis malis de cetero emendare, desideria carnis non perficere, voluntatem propriam odisse, præceptis sacerdotis & præceptoris in omnibus obedire, etiamsi ipse aliter, quod absit, agat, memorans illa dominica præcepta, in quibus habetur: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt nolite facere*; non velle dici sanctum, antequam sit, sed prius mereri sanctus esse, quod verius dicatur, præcepta Dei factis quotidie adimplere, castitatem amare, nullum odisse, zelum & inuidiam non habere, contentionem non ama-



re, elationem fugere, & seniores venerari, iuniores diligere, in Christi amore pro inimicis orare. Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire, & de Dei misericordia nunquam desperare. Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritualis, quæ cum fuerint a nobis die noctuque incessabiliter adimpleta, & in die iudicii reconfignata, illa merces nobis a Domino recompensabitur quam ipse promisit: *Quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quam præparauit Deus his qui diligunt eum.*

1. Cor. 2.

## XXII.

Commonendi sunt fideles, vt generaliter omnes a minimo vsque ad maximum orationem dominicam & symbolum discant: & dicendum eis quod in his duabus sententiis omne fidei Christianæ fundamentum incumbit. Et nisi quis has duas sententias memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione sapissime frequentauerit, catholicus esse non poterit. Constitutum namque est, vt nullus chrismetur, neque baptizetur, neque a lauacro fontis alium suscipiat, neque coram episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi symbolum & orationem dominicam memoriter tenuerit, exceptis his quos ad loquendum ætas minime perduxit.

## XXIII.

Dicendum illis, vt singulis diebus qui amplius non potest saltem duabus vicibus oret, mane scilicet & vespere, dicens symbolum siue orationem dominicam: Qui plasmasti me miserere mei, vel etiam, Deus propitius esto mihi peccatori: & Domino gratias agens pro quotidiana vitæ com meatibus, & quia se ad imaginem suam creare dignatus sit, & a \* peccatoribus segregare: his actis, & solo Deo creatore suo adorato, sanctos inuocet, vt pro se intercedere ad maiestatem diuinam dignentur, hæc facient quibus basilicæ locus prope est in basilica. Qui vero in itinere, aut pro qualibet occasione in siluis aut in agris est, vbicumque enim hora matutina vel vespertina inuenerit, sic faciat, sciens Deum vbique præsentem esse, dicente Psalmista: *In omni loco dominationis eius.* Et: *Si ascendero in cælum, tu ibi es, &c.*

Psal. 102.  
Psal. 138.\* Igg  
peccatoribus

## XXIV.

Dies vero dominica, quia in eo Deus lucem condidit,

in eo mannam eremo pluit, in eo Redemptor humani generis sponte pro salute nostra mortuus resurrexit, in eo Spiritum sanctum super discipulos infudit, tanta esse debet obseruantia, vt præter orationes, & Missarum solennia, & ea quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat. Nam & si necessitas fuerit nauigandi, siue iter agendi, licentia datur, ita dumtaxat, vt ex occasione Missas & orationes non prætermittantur. Conueniendum est sabbato die cum luminaribus cuiilibet Christiano ad ecclesiam: conueniendum est ad vigilias, siue ad Matutinæ officium: concurrentum est etiam cum oblationibus ad Missarum solennia. Et dum ad ecclesiam conuenitur, nulla causa dici debet vel audiri, nulla iurgia sunt habenda, sed tantummodo Deo vacandum est in celebratione videlicet sacrorum officiorum, exhibitione eleemosynarum; & in Dei laudibus cum amicis, & proximis, & peregrinis spiritualiter epulandum.

## XXV.

Admonendi sunt, vt hospitalitatem diligant, & vt nulli hospitium præbere detrectent: & si cui forte hospitium præstiterint, nullam ab eo mercedem accipiant; nisi forte ille qui recipitur sponte sua aliquid det, dicendumque illis qualiter multi per hospitalitatis officium Deo placuerunt, dicente Apostolo: *Per hanc enim placuerunt quidam* <sup>1. Petr. 1.</sup> *Deo, angelis hospicio susceptis.* Et iterum: *Hospitales inuicem* <sup>1. Petr. 4.</sup> *sine murmuratione.* Et ipse Dominus dicturus est in iudicio: *Hospes eram, & collegistis me.* Sciant sane quicumque <sup>Matth. 25.</sup> hospitalitatem amant, Christum se in hospitibus recipere, nam ille modus hospitalitatis non solum inhumanius, sed etiam crudelis est, quo nunquam hospes in domum ante recipitur, nisi prius dandi hospitii merces compensetur; & quod Deus agere iussit pro perceptione regni cælestis, pro acquisitione terrenarum rerum agatur.

## XXVI.

Prædicandum est etiam, vt periurium fideles caueant, & ab hoc summopere abstineant, scientes hoc grande scelus esse, & in lege & prophetis siue euangelio prohibitum. Audiuimus enim quosdam paruipendere hoc scelus, & leuem quodammodo periuris pœnitentiæ modum imponere, qui nosse debent talem periuro pœnitentiã impo-

nerere debere, qualem & de adulterio, & de fornicatione, de homicidio, & de ceteris criminalibus vitiis. Si quis vero perpetrato periurio, aut quolibet criminali peccato, timens poenitentiae longam arumnam, ad confessionem venire noluerit, ab ecclesia repellendus est, siue a communionem & consortio fidelium, vt nullus cum eo comedat neque bibat, neque oret, neque eum in sua domo recipiat.

## XXVII.

*Exod. 20.  
Prout. 17.*

Dicendum est eis vt a falso etiam testimonio se abstineant; scientes & hoc grauissimum scelus esse, & ab ipso Domino in monte Sinai prohibitum, dicente ipso Domino, *Non falsum testimonium dixeris*: siue: *Testis falsus non erit impunitus*: sciat se etiam quisquis hoc perpetravit aut tali poenitentia purgandum, vt superius dictum est de periurio, aut tali damnatione aut excōmunicatione damnandum, sicut superius insertum est. dicendumque illis est quod summa stulticia est, si quis pro cupiditate argenti & auri, aut vestimentorum, aut cuiuslibet rei, aut, quod creberrime contingere solet, propter ebrietatem, in tam grande scelus voluerit corrumpere; vt aut septem annis in arcta arumna sit, aut ab ecclesia repellendus, dicente Domino: *Quid prodest homini, si lucretur totum mundum, & animæ suæ detrimentum faciat*: quippe, cum aliis videatur pius existere, sibi met crudelis existat.

*Marc. 8.*

## XXVIII.

Hortamur vos paratos esse ad docendas plebes: qui scripturas scit, prædicet scripturas; qui vero nescit, saltem hoc quod notissimum est plebibus dicat; vt declinent a malo, & faciant bonum, inquirant pacem; sequantur eam: quia oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: vultus autem Domini super facientes malum, vt perdat de terra memoriam eorum. Nullus ergo se excusare poterit, quod non habeat linguam, vnde possit aliquem ædificare; mox enim vt quemlibet errantem viderit, prout potest, & valet, aut arguendo, aut obsecrando, aut increpando, ab errore retrahat, & ad peragendum bonum opus hortetur: cum vero, Domino opitulante, ad Synodum in vnum conuenerimus, sciat nobis vnusquisque dicere quantum, Domino adiuuante, laborauerit, aut quem

fructum acquirerit: & si quis forte nostro indiget adiutorio, nos cum caritate nihilo minus ei pro viribus adiutorium ferre differemus.

## XXIX.

Admonere debetis fideles, vt assiduitatem & studium habeant orandi; ipse autem orandi modus talis esse debet; Vt primo, dicto symbolo, quasi fidei suæ recensito fundamento, dicat, quisquis est, tribus vicibus, Qui plasmasti me, miserere mei; & tribus vicibus, *Deus propitius esto mihi peccatori.* Luc. 18. Et compleat orationem dominicam. Si ergo locus aut tempus exierit, deprecetur sanctos apostolos, siue martyres, vt pro eo intercedant, & armata fronte signo crucis, eleuatis cum corde manibus & oculis, Deo gratias agat; si vero tempus ad hæc omnia peragenda minus sufficiens est, sufficiat tantum, Qui plasmasti me, miserere mei; Et, *Deus propitius esto mihi peccatori:* Ibidem. & oratio dominica tantum cum gemitu & contritione cordis.

## XXX.

Omni enim die Deo in oratione nostra, aut semel, aut bis, aut quando amplius possimus, confiteri debemus peccata nostra, dicente Propheta: *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitias non abscondi: Dixi: Confitebor aduersum me iniustitias meas Domino, & tu redemisti impietatem peccati mei.* Psal. 31. Facta etenim confessione cum gemitu & lacrymis Domino, in oratione recitandus est psalmus quinquagesimus, siue vigesimusquartus, siue vigesimusquintus, atque alii ad rem pertinentes, & sic complenda est oratio; quia confessio, quam sacerdotibus facimus, hoc nobis adminiculum affert, qui accepto ab eis salutari consilio, saluberrimis pœnitentiæ obseruationibus, siue munitiis, peccatorum maculas diluimus. Confessio vera, quam Deo soli facimus, in hoc iuuat, quia quanto nos memores sumus peccatorum nostrorum, tanto horum Dominus obliuiscitur: & e contrario, quanto nos horum obliuiscimur, tanto Dominus reminiscitur, dicente eo per prophetam: *Et peccatorum tuorum non meminero.* Ezech. 33. Tu autem memor esto, quod David propheta fecisse testatur, cum dicit: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum coram me est semper.* Psal. 50.

Octo pec-  
cata princi-  
palia.

Confessiones dandæ sunt de omnibus peccatis, quæ siue in opere, siue in cogitatione perpetrantur. Octo sunt principalia vitia, sine quibus vix vllus inueniri potest. Est enim gastrimargia, hoc est ventris ingluuies; secundum, fornicatio; tertium, acedia, siue tristitia; quartum, auaritia; quintum, vana gloria; sextum, inuidia; septimum, ira; octauum, superbia. Quando ergo quis ad confessionem venit, diligenter debet inquiri, quomodo aut qua occasione peccatum perpetrauerit quod peregrisse confitetur; & iuxta modum facti debet ei pœnitentia indicari. Debet ei persuaderi vt de peruerfis cogitationibus faciat confessionem, & nominatim debet ei sacerdos vnumquodque vitium dicere, & suam de eo confessionem accipere.

## XXXII.

Matth. 25.

IOAN. 6.

Esurientes satiandi sunt, sitientes potandi, nudi operiendi, infirmi, & qui in carcere sunt, visitandi, & hospites colligendi, dicente Domino: *Esurui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* nam hæc omnia & in se quisque debet specialiter agere, & in aliis temporaliter adimplere, quia pene nihil possunt hæc omnia proficere ad vitam æternam capeßendam, si luxuriose, superbe, inuide, & (ne singula replicem) si vitiose & inordinate quis viuat, & ceteris bonis operibus non vacet: qui ergo videt se Christum non habere, qui dixit: *Ego sum panis viuus qui de celo descendi*, & caritatem quæ est pastus animæ non habet, esurit quidem: sed si semper bona opera Christo adiungit, & caritatis se dulcedine replet, esurientem omnino semper paut: qui se vidit doctrina Spiritus sancti, & scripturarum sanctarum fluentis carere, sitiens est: sed si se fluentis verbi Dei irriget, & mentem suam spiritalis poculi dulcedine inebriet, iste se sitientem potauit; qui induit se iustitia sine ceteris virtutibus, nudum se procul dubio vestit, si in lecto vitiorum suorum iacet, & morbo iniquitatis suæ laborat, & funibus peccatorum suorum constrictus est, & vitiorum obsitus pariete, & in tenebris iniquitatis suæ est, infirmus quidem est: sed si de lecto vitiorum per confessionem egreditur, & per pœnitentiæ lamenta vinculis peccatorum absoluitur, & ad lucem

cem bonorum operum egreditur, infirmum & in carcere positum se procul dubio visitat. Sin huius vitæ via videt se laborare, & vitiorum procella quasi quadam aeris intemperie inquietari, & receptaculum bonorum operum non habere, sciat se in itinere positum hospitio egerre. At si se ad virtutum domum deducat, & sese in earum tutamine receptet, hospitem quidem suscipit, quæ omnia sibi spiritualiter exhibet, Christum in se, cuius ipse membrum est, pascit, potat, vestit, visitat ac suscipit.

## XXXIII.

Admonendi sunt fideles sanctæ Dei ecclesiæ, vt filios suos & filias suas doceant parentibus obedientiam exhibere, dicente Domino: *Fili, honorifica patrem tuum*: nam & ipsi parentes erga filios suos ac filias modeste debent agere, dicente Apostolo: *Et vos parentes nolite ad iracundiam prouocare filios vestros*: & hoc dicendum est eis, vt si illi genituali affecti parcere velint iniuriis filiorum, non has impune Dominus finit, nisi forte digna pœnitentia exhibeatur: & quia leuius est filiis parentum quælibet flagella suscipere, quam Dei iram incurrere.

## XXXIV.

Admonendus est populus, quod hæc sit vera caritas, quæ Deum diligit plusquam se, & proximum tamquam se; quæ nihil vult alii facere, nisi quod sibi vult fieri; & plura quæ recensere longum est: nam quicumque in potu, & cibo, & dandis atque accipiendis rebus caritatem putant, non mediocriter errant, dicente Apostolo: *Regnum Dei non est cibus & potus*; nam & ipsa quando cum caritate fiunt, bona sunt, & inter virtutes computanda sunt.

## XXXV.

Admonendi sunt qui negotiis ac mercationibus rerum inuigilant, vt non plus terrena lucra quam vitam cupiant sempiternam. Nam qui plus de rebus terrenis quam de animæ suæ salute cogitat, valde a via veritatis aberrat, & iuxta quemdam sapientem, in \* *vita sua perdidit intima sui*: sequendus est in hac parte, sicut in ceteris, apostolicus sermo, qui ait: *Et ne quis supergrediatur neque circumueniat in negotio proximum suum: vindex est enim Deus de his*

Concil. Tom. 25.

T t t

*omnibus* : sicut enim ab his qui labore agrorum, & ceteris laboribus victum atque vestimentum quærunt, & necessaria vñibus humanis acquirere inhiantes instant, decimæ & eleemosynæ dandæ sunt ; ita his quoque qui pro necessitatibus suis negotiis insunt faciendum est. Vnicuique enim homini Deus dedit artem qua pascitur, & vnusquisque de arte sua, de qua corporis necessaria subsidia habet, animæ quoque, quod magis necessarium est, subsidium administrare debet.

## XXXVI.

Hebdomada prima ante initium quadragesimæ confessiones sacerdotibus dandæ sunt, pœnitentia accipienda, discordantes reconciliandi, & omnia iurgia sedanda, & dimittere debent debita inuicem de cordibus suis, vt liberius dicant: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; & sic ingredienti in beatæ quadragesimæ tempus, mundis & purificatis mentibus ad sanctum pascha procedant, & per pœnitentiam se renouent, quæ est secundus baptismus. Sicut enim baptismus peccata, ita & pœnitentia purgat; & qui post baptismum peccat, denuo non potest baptizari; hoc medicamentum a Domino pœnitentiæ datum est, vt per eam vice baptismi peccata post baptismum diluantur. Septem enim modis peccata dimitti scripturæ sanctæ demonstrant. Primo enim in baptisate, quod propter remissionem peccatorum datum est. Secundo, per martyrium, iuxta illud quod ait Psalmista: *Beatus cui non imputauit Dominus peccatum*: quia iuxta eiusdem David sententiam, remittuntur peccata per baptismum, teguntur per pœnitentiam, non imputantur per martyrium. Tertio, per eleemosynam, iuxta Danielelem, qui profano Nabuchodonosor ait: *Peccata tua eleemosynis redime in misericordiis pauperum*. Et illud: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna extinguit peccata*. Et Dominus in euangelio: *Verumtamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*. Quarto, si remittat quis peccanti in se peccata sua, iuxta illud: *Dimittite, & dimittetur vobis. Date, & dabitur vobis*. Et illud: *Sic & Pater vester dimittet vobis peccata vestra, si remiseritis vnicuique de cordibus vestris*. Quinto, si per prædicationem suam quis, & bono-

Math. 6.

Peccata septem-  
pliciter  
dimittuntur.

Psal. 31.

Daniel. 4.

Ecl. 3.

Luc. 11.

Luc. 6.

Marc. 11.

rum operum exercitium alios ab errore suo conuertat, iuxta illud quod ait apostolus : *Quoniam si conuerti fecerit* Iacob. 5. *quis peccatorem ab errore viae suae, saluabit animam eius a morte, & cooperiet multitudinem peccatorum.* Sexto, per caritatem, iuxta illud : *Caritas Dei cooperiet multitudinem peccatorum per Iesum Christum Dominum nostrum.* 1. Pet. 4. Septimo, per poenitentiam, iuxta quod ait Dauid : *Conuersus sum in aerumna mea, dum configitur spina.* Psal. 51.

## XXXVII.

Ipsa autem quadragesima cum summa obseruatione custodiri debet, vt ieiunium in ea, praeter dies dominicos, qui abstinentiae subtracti sunt, nullatenus resoluatur; quia ipsi dies, decimae sunt anni nostri, quos cum omni religione & sanctitate transire debemus: nulla enim in his occasio sit resoluendi ieiunii, quia alio tempore solet ieiunium caritatis causa dissolui, isto vero nullatenus debet, quia alio tempore ieiunare in voluntate & arbitrio cuiuslibet positum est: in hoc vero non ieiunare, praecipuum Dei transcendere est: & in alio tempore ieiunare, praemium abstinentiae acquirere est: in hoc vero, praeter infirmos aut paruulos, quisquis non ieiunat, poenam sibi acquireret; quia eosdem dies Dominus per Moysen, & per Eliam, & per semetipsum sacro ieiunio consecrauit.

## XXXVIII.

Diebus vero ieiunii elemosyna facienda est, & cibum siue potum, quo quisque vti debuit, si non ieiunaret, pauperibus eroget; quia ieiunare, & cibos prandii ad coenam referuare, non mercedis, sed ciborum est incrementum.

## XXXIX.

Solent plures qui se ieiunare putant, mox vt signum audierint, ad horam nonam manducare; qui nullatenus ieiunare credendi sunt, si manducauerint antequam vespertinum celebretur officium: concurrentum est enim ad Missas, & auditis Missarum solennibus, siue vespertinis officiis, largitis elemosynis, ad cibum accedendum est. Si vero aliquis necessitate constrictus fuerit, vt ad Missam conuenire non valeat, aestimata vespertina hora, completa oratione sua, ieiunium absoluere debet.

*Concil. Tom. 25.*

Ttt ij



## XL.

Abstinencia vero in his diebus pene omnium deliciarum esse debet, & sobrie & caste viuendum. Qui vero ouis, caseo, piscibus, vino abstinere potest, magnæ virtutis est: qui autem his, aut infirmitate interueniente, aut quolibet opere, abstinere non potest, vtatur tantum, vt ieiunium vsque ad vesperam solenniter celebret; & vinum non ad ebrietatem, sed ad refectionem corporis sui sumat. A caseo vero, lacte, butyro & ouis abstinere & ieiunare dementissimum est, & ab omni ratione esse semotum: vinum enim pro ebrietate & luxuria prohibitum est, non lac & oua: non enim ait Apostolus, Nolite comedere lac & oua, sed, *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

Vinum in  
ieiuniis  
prohibi-  
tum, non  
lac & oua.  
Ephes. 5.

## XLI.

Singulis diebus dominicis in quadragesima, præter hos qui excommunicati sunt, sacramenta corporis & sanguinis Christi sumenda sunt. Et in cœna Domini, vigilia paschæ, & in die resurrectionis Domini, penitus ab omnibus hominibus communicandum est. Et ipsi dies paschalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi sunt.

## XLII.

In his ieiuniorum diebus nullæ lites, nullæ contentiones esse debent, sed in Dei laudibus, & in opere necessario persistere: dum arguit enim eos qui contentiones & lites quadragesimæ tempore construunt, & qui debita a debitoribus exigunt, Dominus per prophetam dicens: *Ece in die ieiunii vestri inueniuntur voluntates vestræ, & omnes debitores vestros repetitis: ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie.*

Isaie 58.

## XLIII.

Abstinendum est enim in his sacratissimis diebus a coniugibus, & caste & pie viuendum, & sanctificato corde & corpore isti sancti dies transigantur, & sic perueniatur ad diem sanctum paschæ; quia pene nihil valet ieiunium quod coniugali macula vel opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ, eleemosynæ non commendant.

## XLIV.

Admonendus est populus vt ad sacrosanctum sacramentum corporis & sanguinis Domini nequaquam indif-

ferenter accedat, nec ab hoc minime absteineat, sed cum omni diligentia atque prudentia eligat tempus, quando aliquamdiu ab opere coniugali absteineat, & vitiis se purget, virtutibus exornet, eleemosynis & orationibus insistat, & sic ad tantum sacramentum accedat: quia sicut periculosum est, impurum quemque ad tantum sacramentum accedere, ita etiam periculosum est ab hoc prolixo tempore abstinere, sola ratione eorum qui excommunicati, non quando eis libet, sed certis temporibus communicant, & religiosis quibusque sancte viuentibus, qui pene omni die id faciunt.

XLV.

Vt & Missæ quæ per dies dominicos peculiare a sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, vt per eas populus a publicis Missarum solennibus, quæ hora tertia canonicè fiunt, abstrahatur; quia pessimus vsus est apud quosdam, qui in diebus dominicis, siue in quibuslibet festiuitatibus mox Missam celebrare etiam pro defunctis si audierit, abscedit, & per totum diem a primo mane ebrietati & comessationi potius quam Deo deseruit; admonendus est populus, vt ante publicum peractum officium ad cibum non accedant, & omnes ad publicam sanctam matrem ecclesiam Missarum solennia & prædicationem audituri conueniant; & sacerdotes per oratoria nequaquam Missas nisi tam caute ante secundam horam celebrent, vt populus a publicis solennibus non abstrahatur; sed diuersi sacerdotes, qui in circuitu vrbs, aut in eadem vrbe sunt, siue populus, (vt prædiximus) in vnum ad publicam Missarum celebrationem, conueniant, exceptis Deo sacratis feminis, quibus mos est ad publicum non egredi, sed claustris monasterii contineri.

ANNO CHRISTI  
....  
LEGES ECCLESIASTICÆ

S. EDVVARDI REGIS ET CONFESSORIS  
e sæcularibus suis depromptæ.

TITVLI LEGVM ECCLESIASTICARVM.

- I. De clericis & possessionibus eorum. II. De temporibus & diebus pacis regis.

Ttt iij